

B. MEINVVERCUS

X₉

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1009.

Sergii IV Pont. I.
Henrici II Reg. 8.
Meinwerci Ep. Pad. I.

Mein-
wercus
alter Epi-
scopatus
Pader-
bornensis
Fundator.



*Auctor vita
Meinwerc-
ci.*

O R S Retharij Antistitis ex hoc eodem anno
M I X nos ad Meinwercum Successorem, &
fulgentissimum Ecclesiae nostrae Episcopum
deducit; quem non immerito instauratorem
diocesis, alterumque conditorem posteritas
coluit. Quam enim Episcopatus sedem, ex-
usto templo & Collegio cum magna urbis
parte, inopem & afflictam nactus erat, hanc
ita opibus & operibus, supra omnes, qui ante-
cesserunt, Episcopos auxit & exornavit, ut patrimonij opulentiã ac
splendore ceteris Saxoniae Episcopatibus adaequaret; idque primùm
ex hereditarijs bonis, quibus pollebat: tum Henrici & Conradi II
Imperatorum munificentia (quorum gratia non minus valebat) sin-
gularique ejus industria praestitum est. Urbem certè, quam moenibus
infirmam reperit, ita praemunijt, itaque Basilicã, duobus Canonico-
rum Collegijs, Coenobio Abdinghovienfi ordinis D. Benedicti, mul-
tisque sacris aedibus exornavit, ut, quod Browero dicere libuit, ex late-
ritia marmoream fecerit. Quae nunc, praeter virtutes ejus egregias,
resque praecclare ab eo gestas, eò nobis certius perscribere licebit, quò
diligentius haec omnia à fido auctore, qui vitam Meinwerci nobis
reliquit, consignata sunt; praeterque alia, suppetunt nobis haecenus
nondum edita plura donationum diplomata ab utroque Imperatore
data, quibus haec integrã fide illustranda suscepimus. Igitur postquam
per legatos cleri obitus Retharij Episcopi D. Henrico Regi Goslariae,
quò Tremonia concesserat, est denunciatus, continuo Rex, vocatis
in

in